



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Parodia Antirrhetica Ad virulentissimum scazonem, quem Josephus Scaliger Roma discedens effudit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Hac in tabella Cromyvellium vides.
 Proh! quanta vultu torvitas & picto inest.
 Geminus cometes vibrat ex oculis facem
 Mundo tremendam. Pendet in ferrum manus,
 Dum pervicaci frons supercilio minas
 Intentat astris; osque vel mutum probris
 Superos laceffit. Cerne, quadrupedem ut pudet
 Dorso tyrannum ferre; ut indignos pati
 Frænos recusat. Maçte Bucephali nepos:
 Sic usque volucrem provocans cursu Notum
 Post te relinuas. Sterne latronem solo,
 Crebraque tunde calce funestum caput:
 Tuumque pariter excute, & mundi jugum.
 Aut per salebras, perque sentes asperos
 Raptata differ membra, & in partes trahe.
 Ita promereri scilicet solus potes,
 Tibi dividendum cum tribus sociis decus.

PARODIA ANTIRRHETICA

*Ad virulentissimum scazontem, quem Josephus Scaliger
 Roma discedens effudit.*

FELIX sepulchrum perfidæ vetustatis,
 Origo pura sanctitatis & veri,
 Et Roma Româ major, & tui victrix,
 Et dicta vere Roma nunc caput mundi,
 Ipsique leges atque jura dans cœlo.
 Urbs usque Ditis iætibus laceffita,
 Sed usque temnens Ditis irritos ictus.
 Quæ cincta face gentium profanarum:
 Perstas Deo fidelis, & tibi suppar:
 Sub sede Petri petra semper immota.

Salve

Salve pudoris urbs magistra rectique ;
 Rectum & pudorem moribus docens castis ;
 Censura viva Januæ meretricis ;
 Ancilla quondam , nuncque domina fortunæ ;
 Laboriosa pacis aureæ custos ;
 Spectabilis pudica numinis conjux.
 Salve beata , consecrata , cœlestis ,
 Divina. Quippe , quid tuas morer Divis
 Æquare laudes ; quando jam facis Divos ?

Geneva proxime
 lapsis seculis Ja-
 nua vocata est.

AD SERENISSIMUM DELPHINUM
 SYMBOLUM HEROICUM.

Rex apum , quem examina comitantur.

LEMMA.

Omnia in uno.

MELLITÆ volucres , apes tenellæ ,
 Quibus vel thyma , floreamve messem
 Decerpisse labor : citæ huc quot estis
 Obstrepentibus advolate pennis.
 Vobis ecce novus , rigens & auro ,
 Rex adest : licet esse jam quietis.
 Nec deforme pecus timete fucos.
 Hic alis teget , & teget lacertis.
 Nec jam opus violis rosisque fufum
 Nectar querere roscidos per hortos :
 Hic & materiam dabit laboris ,
 Et simul pretium dabit labori.
 Denique omnia suppetent in uno.